

no scribente: *Proteges eos in Tabernaculo tuo. Quod est Tabernaculum & Ecclesia hujus temporis. Tabernaculum enim ideo dicitur, quia adduc in hac Terra peregrinatur. Tabernaculum enim habitaculum est militum in expeditione posterorum. Pugna in expeditione peregrinus, ut Saluus in Tabernaculo, GLORIOSUS RECIPLARIS IN DOMO. Erit enim IN COELO DOMUS TUA ETERNA, si modo bene in hoc Tabernaculo vixeris. Videntur, ubi Tabernaculum sit, habitaculum peregrinantium? In hac Terra. E Tabernaculo secundum Augustinum pergitar ad Domum, & quidem Eternam; non vero in alterum Tabernaculum extra hanc Terram, quale foret deserta illa habitatio, in quam Britannus Scriptor Justorum Animas detrudit. Atque heic præterire nolo, Sanctum Hilarium præcessisse Augustino in ejusmodi sententia. Explicans ille Psalmum xiv. Domine, Domine, quis habitabit in Tabernaculo tuo, aut quis requiescet in Monte sancto tuo: statuit, Tabernaculum esse Ecclesiam, in qua prior est habitatio. Christum vero esse Montem, in quo posterior est Requies. Præius gradus ad Cælestia ascendentes, habitare in hoc Tabernaculo. Ex eo in Montem ascensus. Ad hunc mysticum Montem, subdit ille: post habitationem Ecclesie scanditur; in illo IN DOMINI SUBLIMITATE REQUIESCITUR; in illo cum Angelorum choris, quum & nos simus Dei Civitas, sociabimur. Aliud ergo Hilarius, neque Augustinus domicilium Justorum perfectorum post mortem agnoscunt, nisi Cæleste, ubi cum Angelorum choris in Domini sublimitate Requiescitur.*

Præterea Sanctus Augustinus, an inter Paradisum, & Sinum Abrahæ discrimen intercederet, decernere minime ausus est. Utrum Sinus ille Abrahæ (sunt ejus verba in Epist. cxxxvii. olim 57. ad Dardanum) ubi Dives impius, quum in tormentis esset Inferni, Requiescentem Pauperem vidit, vel Paradisi censendus vocabulo, vel ad Inferos pertinere existimandus sit, non facile dixerim. In Pauperis morte, vel Requite non sunt Inferi nominati: sed, Contigit (inquit) mori Impem illum, & auferri per Angelos in Sinu Abrahæ. Deinde ardenti Diviti dicit Abrahæ: Inter nos & vos chaos magnum firmatum est, tanquam inter Inferos, Sedesque Beatorum. Non enim facile, alicubi Scripturarum, Inferorum nomen positum invenitur in bono. Tum addit, veri perquam simile esse, Paradisum, & Abrahæ Sinum sub duobus nominibus idem significare; nam generale Paradisi nomen est, ubi Feliciter Vivitur. Propterea Enarrat. in Psalm. xxxvi. Sermon. II. n. 7. Paradisum sine habitatione appellat locum, in quem ab Angelis ulcerosi Pauperis Anima delecta fuit. Ubinam vero Paradisum? Si Burnetum audimus, extra Cælos, extra Regnum Cælorum, ignotis in locis, fortasse sub terra. Bene tamen cecidit, quod jamdiu errorem hunc insectatus est Augustinus Lib. II. cap. 10. de Anima & ejus origine. Infantibus sine sacro lavacro morientibus pollicitus fuerat Vincentius Victor Paradisum, non tamen ut Cæleste inducantur in Regnum, præcipue quia multas Mansiones apud Patrem suum Dominus prestetur. Ad ista quid re-

De Par. T Non-